

Greci...non solo
nomine!



Est parvus angulus- lycaeis omissis – viridis Hirpiniae ubi abhinc multa saecula lingua et mores sunt unice Graecae. “Greci” (“Katundi” in idioma locali) ea causa est nomen huic parvo vico, sedi exiguae civitatis “arberesche” –id est Greca-epirota- nuncupatae.



Nam post Turcicam irruptionem in Balcanicam paeninsulam, necnon ipsius expugnationem in Secundo Bello Mundiali, multi Graeci-Illyrici se refugerunt in Italiae regiones meridionales (Apulia, Calabria, Lucania et Campania), ubi parvas urbes condiderunt ex novo, mores servantes cum lingua (griko) mixta dialecto loci.



Epirota plerumque lingua communis , quamvis a lexico graeco non sit immunis. Insunt enim omnes casus declinationis, necnon nomina loci velut “hore” –id est regio-, “frea” –id est puteus- et, rarius, expressiones (“parkali” = quaeso). Et inter nomina hominum Iskander ab Alexandro, Erkulli ab Hercules, Akilè ab Achilles). Non desunt tamen Italicae derivationes ut Masin (Tommaso), Cenxi (Vincenzo), Llukja (Lucia) Klemindine (Clementina) vel etiam Bombini pueris natis in eodem die Iesu (italice: Bambino).



Patrimonium inde culturale, probatum quoque ab UNESCO societate, quod per saecula extitit invariatur, in quo invenimus ritus moresque officiales (chori, processiones, necnon certamen faciei “ Miss Arbereshe”) et ingentem quamdam productionem litterariam (ab epicis poematibus contra Ottomanos –eis heros Şkanderbeg- ad fabulas et lyricam poesim Iosephi Şchirò) et musicalem (cantus populares propositi quoque anno in certaminibus, in retibus televisivis publicis et privatis).



Nec desunt pelliculae cinematographicae, ut "Arberia", acta in loco.



Denique, inter recepta culinaria, in usu in tempore Paschali necnon in baptismi
cerimoniis et festis nuptialibus, placenta nuncupata "panari" cum ovis coloratis et

maribus destinata, dum feminis donant “pupa” (“nusia” dicta) e saccharo et farina, ovum cum putamine in ventre continentem.



At inter traditiones maxime originales, digna scitu ac gustatu placenta, cui est nomen “kulak”, farta ovis, olei et silvatici feniculi. Nihil novum, profecto, at spectate figuras quae placentam adornant: aves sunt sponsi, e parentibus amoti, qui contra serpentes (insidiae et malae “linguae”) vivunt in nido suum aeternum amorem!



Gulae peccatum, quod consumitur in ipsa ecclesia:



At non solum sponsis:



Tempora totius vitae pariter memorantur in decoris "mustacciolis" omni colore:

Ad primam comunionem cum parva imagine pueri intenti ad orationem:



Ad octavum decimum annum cum augurio: sit magnus!



Ad lauream an laborem, cum toga et corona:



Ad nuptias cum floribus sacchari et foliis viridis spei



An potius violaceo colore sponsis parum superstitiosis



An rosae romanticae in pulchra et delicata acupuntura amoris!





Œripsit: Lucia Mattera

(collaborante I C Lycaei Classici Sancti Angeli Langobardorum, AB)